



Sammelwerk für



1763. 1

QUOSDAM ILLEGITIMOS
PARANDÆ DOCTRINÆ MODOS

RECENSET
ET

VIROS

GENEROSISSIMOS PLURIMUM REVERENDOS
EXCELLENTISSIMOS, PRAENOBILISSIMOS
CONSULTISSIMOS, AMPLISSIMOS
CET.

SCHOLAE REFORMATAE
FAVTORES ATQVE INSPECTORES
OMNI, QVA DECET, ANIMI MODESTIA
COLENDOS,

AEQUE AC

OMNES LITTERARVM ELEGANTIORVM CVLTO-
RES CVIVSVIS ORDINIS
SPECTATISSIMOS

AD

EXAMEN ANNVVM

CVI ORDINIS SECVNDI DISCIPLI DIE 22. MART.
MDCCLXIII. HOR. 9--12. MAT. SVBIIICIENTVR
HVMANISSIME INVITAT
IOANNES AVGVSTVS LUIDICKE,
CONRECTOR.

COTHENII, Litteris Schcendorfianis,



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

VIRI

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

X 153,





§. 1.

Uum secundum vulgatum proverbi-
um :
ARS LONGA, & VITA BREVIS sit:
sequitur, quod quilibet, qui ad docti vi-
ri nomen adspirat, & rerum notitiam
non detriuiis haustam ambit, omnem
moueat lapidem, ut succinta & solida ipsi obtingat rerum
perspicientia.

§. 2.

Quem ad finem consequendum multi multa præscri-
pserunt media quorum nonnulla tam absona & veritati
adeo contraria deprehenduntur, vt non possimus, quin
quædam eorum in præsentia percurramus, quæ minime
ad intima sapientiæ penetrelia referenda faciunt, sed po-
tius ab illis homines abducunt quam longissime.

§. 3

Adeo in addiscendis linguis gloriosi Thrasones inue-
niuntur, qui mysteria, nescio qualia inuenisse dicitant,
quibus unam alteramue linguam spatio unius diei peni-
tus edisci posse temere contendunt. Memini me legere
in præfatione, quæ Lubini clauis Græcæ linguæ promissa
est, quemdam Bohuslaum Aloysium Balbinum ita scripti-
tasse

tasse : se inuenisse viam ac modum, quo quicumque de
 mum, qui modo græce scribere norit, si uno die discipu-
 lum diligentem se præbeat, altero mox die de omni pro-
 posito omnem, quam voluerit, orationem Græce sine er-
 rore, atque etiam phrasibus Græcis copiose explicare scri-
 pto possit etsi rationem syntaxeos ipse reddere nesciat.
 Addit porro : Huius rei testes laudare possum maximos,
 qui me docente altero mox die idem præstiterunt. Ne-
 mo hoc loco malus male suspicetur : est modus in rebus
 multa fieri arte possunt. Hactenus ille. Quum vero
 istud artificium erudito orbi non reuelauit, quod valde
 optandum esset, nobis eo minus in malam vertere partem
 poterit : si his effatis adscribamus : sunt ampullæ & ses-
 quipedalia verba prætereaque nihil.

§. 4.

Nec desunt in scientiis tradendis eiusmodi ventosi
 homines. Legimus in historiis, Thomam Murnerum
 Argentoratensem monachum ordinis minorum, qui The-
 ologiæ doctoris vices sustinebat, olim chartiludium scri-
 psisse, cuius ope intra spatium unius mensis etiam indo-
 ctos & rudes artis Logicæ ad miraculum usque peritos
 effecisse se iactat. Pollicitus etiam & se elaboraturum
 quatuor libros institutionum Iustineanearum in similem
 chartularum lusoriarum formam redactos. Hoc si fecis-
 set, iuris studiosis gratius sane quam quod gratissimum
 fuisset ; sed utrum eruditus ille foetus lucem adspexerit,
 an potius in ipso partu, quod fere credo, perierit, mihi
 non omnino constat.

§. 5.

Iam mittamus ista veluti inania mendacia, quæ cui-
 libet candido Lectori statim ab initio illucent, & ad alia
 quæ-

quædam progredimur, quibus & interdum doctorum nonnulli fidem adhibuerunt, ut ista veluti eruditionis compendia strenue defenderent, quum tamen minus sint. Quædam modo adducamus; non de omnibus nobis verba facere placet, nec hoc tempore vacat.

§. 6.

Alii laudibus in cœlum vsque crepitant memoriã artificialem alii in pretio habent artem Lullianam, alii denique cabalæ plus iusto laudis tribuunt. Agedum de horum quolibet paucis differemus.

§. 7.

Memoria, seu facultas ea rursus nobis repræsentandi, quæ antea cognita habuimus omnino inter præsidia doctrinæ est numeranda. Quare Hesiodus, dum Musarum genealogiam explicat, si quis poeticis fabulis delectetur, eas & Iouis & Mnemosynes sive memoriæ filias vocat, quoniam non modo intelligendi percipiendique potestate sed & recordandi facultate valerent. Quæ, quum ita sint, tantum abest, ut memoriã in litteris addiscendis reiciamus, ut potius illam ad eas rite tractandas imprimis requiramus. Vt autem clarius elucescat, qua de memoria nobis sermo sit, duo eius genera faciamus. Siquidem hanc aut naturæ beneficio possidemus, aut exercitationis industria nanciscimur. Quibus benigna mater natura videlicet felicem indulsit memoriã: sane illi diuinitus eximium exceperè thesaurum. Vt enim virtutem solidiorem nasci, quam fingi, quidam veteribus ait: ita quoque memoriã naturæ plus, quam curæ munere solidatur. At quum parca sit huius sui muneris natura; insuper etiam, quibus felix a natura memoriã est, experiantur eam facile perire, doloribus, mor-

bis

bis, alione casu labefactari & interdum plane amitti, ut
 merito iuxta Senecam fugax bonum sit adpellanda: qua
 proptar eas vires, quas natura negauit, alii arte & labore
 producendas existimant. Quo vero pacto naturæ sup-
 petiari & velut obstetricari oporteat, non inter omnes
 conuenit. Alii disciplinam memoriæ directricem inue-
 nisse sibi sunt visi ex locis atque figuris constantem, quæ
 ceræ vel tabellæ inscribebantur, & memorabilium rerum
 imagines præferbant. Harum ope memoria non secus
 atque intellectus Logica dirigeretur. Hanc memoriam
 e priscis Simonides, Hippias, Metrodorus & ipse Cicero
 non ignorauerunt. Illam vocabant memoriam artifici-
 alem, quam Cicero ad Herennium lib. 3. (Si modo Ci-
 ceronis est) & lib. 2. de orat. fusius explicuit, quin
 immo apud florentinos etiam num Ciceronis proprium
 opus de memoria artificiali inscriptum exstare non nulli
 fabulantur. Et sane non ausim hanc penitus reicere,
 quam video tantis viris non incognitam aut improbatam
 fuisse. Verum tamen si diligentius eam excutiamus,
 profecto videtur, potius ad ostentationem memoriæ po-
 tius esse comparata, quam ad disciplinas huius beneficio
 percipiendas & conseruandas. Quin etiam amplius hoc
 addo ista arte non tam adiuuari memoriam in plerisque
 quam opprimi & cohturbari. Hoc & testatur experien-
 tia & effatum Quintiliani, qui de Metrodoro in duode-
 cim signis Zodiacitrecenos & sexagenos sibi locos imagi-
 nante: vanitas, inquit, est atque iactatio circum memori-
 am suam arte potius quam natura gloriantis. Equidem hæc
 ad quædam prodesse queunt, ut si rerum nomina multa
 per ordinem audata, reddenda sunt. Minus idem prode-
 rit in ediscendis, quæ orationis perpetuæ erunt. Nam
 &

& sensus non eandem imaginem quam res habent, quum alterum fingendum sit, & horum tamen utrumque com-
monet. Sed sermonis alicuius habiti verborum conte-
xtus eadem arte quomodo comprehendetur? mitto quod
quædam nullis simulacris significare possunt, ut certæ
coniunctiones. Habeamus enim sane certas imagines o-
mnium & loca scilicet infinita, per quæ verba prolixæ o-
rationis explicantur, ut meminerimus etiam omnium
quasi depositorum: nonne quidem impediri eorum, quæ
dicit decursum necesse est duplici memoria cura? Nam
quomodo poterunt copulata fluere si propter singula
verba ad singulas formas respiciendum erit? Quare qui
utunrur hac exercitatione sibi habeant sua: nos simpli-
ciora sequemur. Hæc Quintilianus.

§. 8.

Quod si tamen omnino placeat alicui naturam indu-
stria quadam & arte iuuare; habet alios mores, quibus
id præstare licet. Quos non iam explicare volumus, e-
numerare tamen, a re non alienum est. Leuabimus igitur
memoriæ infirmitatem, si eam statim a teneris exer-
ceamus, nec situ & rubigine corrumpi patiamur: si non
confuse sed ordine res memorandas habeamus explicâ-
tas, si membra disciplinarum & seriem ac structuram ve-
luti Ariadneum filum quoddam obseruemus & tractatus
quosque in capita & capita in membra distribuamus quæ
suò veluti condicto loco reperiantur: si cum animi vo-
luptate discamus & auide non delicato & nauseabundo a-
nimo, si res ipsas & certas earum causas, quæ veluti me-
moriæ vincula sunt, penitus intelligere, animoque in-
sculpere conemur: si easdem animo subinde repetamus
& ruminemur: si Pythagoræos imitati, quod quoque
die

diē oculis lingua auribus usurpauimus vesperi inter nos mutuis sermonibus referamus, si non superuacuis & inutilibus occupemur, & ex utilibus etiam utillissima quæque deligamus, ac præcipua capita, ne memoria tot imagines tam diuersas complecti non possit: si quam maxime fieri potest, vehementiorum animi perturbationum atque occupationum vincula demamus: si nimio somno quem Plato disciplinarum omnium hostem adpellat, si luxu epulis & intempestiuis comestationibus abstineamus: si quæ meminisse postridie probe volumus, ea sub somnum aliquoties lectitemus, eademque quum primum expergiscimur, recogitemus. Hæc illa vere artificiosa est memoria, quam qui habet, altera carere facile poterit. Credo hac ipsa arte magnum Iulium Cæsarem Scaligerum usum esse, qui, quemadmodum de se ipso testatur, Ionicos Versus centum & viginti vespertina meditatione conceptos postridie ad verbum usque sine ulla hæsitacione dictauit.

§. 9.

Accedimus ad alterum momentaneæ eruditionis, si Diis placet, mysterium, quod Lullianæ artis nomine insignitur. De qua hæc dicere possumus. Originem debet Reimundo Lullo Barcinonensi, seu, si mauis, Balearico quippe ex insula Maiorca, ut perhibent historici, oriundo. Theologus eremita fuit, qui simul artem medicam est professus. Hic inuenisse dicitur artem prodigiosam Logicæ adeo similem veluti monstrum iusto partui æquiparatur. Per hanc non secus ac olim Georgias Leontinus, qui primus in conuentu literatorum poscere ausus est, qua de quisque veliet audire, de quouis subiecto sermone abunde quis possit in partem utramque dif-
fere-

ferere, nec ullum aliis vincendi locum relinquere, & res minutissimas & plane nullius momenti in immensum amplificare. Huius artis opera & Petrum Daguinum Mediatum & Iacobum Ianuarium homines Italos, tribus, sed credat Iudæus Apella, mensibus euasisse viros admirabiles, quum ante vix rudimenta litterarum prima calluissent, Henricus Cornelius Agrippa in præfatione commentariorum artis Lullianæ docet. Quin immo iactat, eam huius scientiæ esse facilitatem, ut etiam pueri imberbes illa freti in omnibus ita dictis facultatibus docte differere possent: multi etiam, qui in extrema senectute se litteris dederunt, paucis mensibus doctissimi essent facti. Quis ad tam grata promissâ non aures atque animum erigat? & erigunt sane multi præsertim iuuenes, qui nati quidem ad gloriam sed non ad laborem compendiarâ via in Palladis arcem tendunt. In illos namque cadit: scire velint omnes, operam sed sumere nemo. Verum ut hæc inter imposturas numeremus, causæ sane non spernendæ mouent. Primò quod ista Lulliana promissâ cum DEI ordinatione & humanorum ingeniorum ratione pugnant. Post lapsum enim is diuinus ordo nobis præscriptus est, ut res magnæ sudore multo & diuturno labore acquirantur, & ea nostri intellectus est proprietas, ut se moueat non in momento ad omnia sed sensim progrediatur, dum rei cuiusdam notitiam sibi acquirat. Deinde ipsa hæc ars in toto suo ambitu confusum chaos est. Scopus enim Lulli erat, ut omnium disciplinarum inprimis metaphysicæ, Ethicæ & Theologiæ, summos ac præcipuos terminos in quoddam corpus commune compingeret, ut lector unam iam haberet qua sola cognita reliquarum rerum cognitione posset superfedere. Eiusmodi au-

tem labor inanis est. Nam fieri non potest, ut detur talis disciplina, quæ id præstet una & sola, quod singulæ per se præstant separatim. Quælibet enim disciplina suum finem habet determinatum, extra quem minime est extendenda. Huc denique accedit testimonium ipsius Cornelii Agrippæ, qui artem Lullianam commendariis illustravit. Ille: hoc admonere vos oportet, inquit, hanc artem ad pompam ingenii & doctrinæ ostentationem potius, quam ad comparandam eruditionem valere, ac longe plus habere audaciæ quam efficaciam. En quam egregie sepelit laudes artis Lullianæ!

§. 10.

Quid autem de Cabala arte illa peruetusta dicendum quæ & a Ioanne Reuchlino, cui Germania & Hebraicam & Græcam linguam primum ad se delatam debet, scriptis explicata est? Eius duplex traditur scientia: altera de BRESCHITH, quam & Cosmologiam vocant, videlicet rerum creatarum terrestrium, coelestiumque vires explicantem, & legis Bibliorumque arcana philosophicis rationibus exponentem quæ physica sacra est, in qua Salamonem regem excelluisse credimus, disputare solitum, ut est in sacris litteris, a cedris Libani usque ad hyssopum, perinde ac de iumentis, volucris, reptilibus & piscibus, quæ omnia ad venatores & naturæ rimatores pertinent. Alteram vero eius scientiam vocant de MERCANA, quæ est de sublimioribus diuinarum angelicarumque virtutum ac sacrorum nominum & signaculorum contemplationibus quædam quasi theologia symbolica, in qua desunt e sacro codice litteræ, numeri, figuræ, res & nomina, & elementorum apices, lineæ, puncta

Sta & accentus, nomina sunt profundissimarum rerum & magnorum, ut aiunt, arcanorum significantia. Quam qui norint, hunc ferunt admirandis pollere virtutibus & futura omnia præsciendi dæmonibus, angelis totique naturæ imperandi, miracula quoque faciendi. Hac enim & Mosen tot edidisse signa, Iosuaam solis cursum retardasse, Eliam in aduersarios cœlitus ignem deuocasse, Salomonem quoque hanc percalluisse, atque ex ea domitricem dæmonum artem & modos coniurationum, ac contra morbos excantationes tradidisse, ut Iosephus docet. Sed ut paucis multa hanc, quam Hebræi iactant, cabalæ artem, præcipue eius posteriorem partem non nisi meram superstitionem esse, quis est, quin videat? Est blasphemia nominum DEI sanctissimorum profanatio, quæ ex verbis & nominibus, quid? quod ex litteris sparsim in sacro codice positis sæpe miras & absonas extorquet sententias. Est lusus otiosi ingenii, quod pro arbitrio fingit & refingit, quæ sibi placent. Hæc etsi nonnumquam magna sonent mysteria, nihil tamen probare possunt; sed eadem facilitate reiiciuntur, quam asseruntur.

§. II.

Mittamus igitur istas nugas non secus atque fictam sententiam, quam alii fouent de quodam spiritu familiari eruditionis extemporaneæ magistro. Qui error ex genio Socratis, quem quidam illi adscribunt, originem traxisse videtur. Hunc spiritum, si habent, utrum quis reuera habeat, nescio, siue annulis includunt, siue speculis atque chrySTALLIS indunt, & perpetuo secum circumferunt, quum opus est, eum alliciunt, ut in disputando vinci nequeant. Olim in Sicilia eiusmodi spiritus venditos

ditos fuisse, legimus. Hi pro optimis habebantur: quare qui alios argutiis & lepidis dictis antecellunt, sæpius dicuntur habere spiritus Siculos. At enim vero eiusmodi doctores sapientiæ non quæramus, potius ab iis abstinemus. Efflent modi doctrinæ acquirendæ partim inepti, partim impii. Quare iam manum de tabula; Indicandum modo est, quem in finem hæc a me in medium sint producta?

§. 12.

Instat scholæ nostræ dies lustricus in quo & discipuli secundi ordinis sollemne examen subibunt. Explorandi sunt iuvenes, quales in litteris fecerint progressus; & quomodo sint instituti. Quum igitur hoc breui præfatiuncula indicari moris sit, partibus meis deesse nolui.

* * *

* * *

* * *

Quidam exercitii gratia ad orandum, quidam ad colloquendum prodibunt & hoc modo se excipient.

- I. CAROLVS LEOPOLDVS VIERTHALER, Cotheniensis, de festiuitate resurrectionis Christi canet, versibus latinis.
- II. ERNESTVS CHRISTIANVS THEOPHILVS HVTHEMANN, Klepzig-Cotheniensis, noxia belli effecta perstringet, sermone vernaculo.

Quo

Quo facto sequitur colloquium in tres actus diuisum,
cui nomen est

REPERTVS CYRVS.

Agentes personæ sunt

- 1.) Astiages, rex Medorum. Cyri auus.
- 2.) Cambyfes, Persarum nobilis, Cyri pater.
- 3.) Cyrus, ficto nomine Alceus.
- 4.) Caracalla, Cyri semi-frater.
- 5.) Mithridates, gregum regionum custos,
- 6.) Harpagus, Astyagis purpuratus.
- 7.) Lynceus, intimus Caracallæ amicus,

Nomina vero discipulorum sunt.

- 1.) ERNESTVS GODOFREDVS HOLTZMANN, Cotheniensis.
- 2.) IOANNES CAROLVS EMANVEL BLEI, Cotheniensis.
- 3.) IOANNES CHRISTOPHORVS BERTRAND, Conneriensis.
- 4.) GEORGIVS LEBRECHTVS CASIMIRVS WERTH, Cotheniensis
- 5.) IOANNES HENRICVS FRAESDORF, Aquisgrani ad Albim natus.
- 6.) FRIDERICVS GEORGIVS AVGVSTVS LOBETHAN, Cotheniensis.
- 7.) FRIDERICVS LVDOVICVS CHRISTIANVS BEHR, Biendorf-Cotheniensis.

Tan,



Tandem

III. CHRITSIANVS CAROLVS AVGVSTVS DONAT, Cotheniensis, inceptam de noxiis belli effectis orationem ad finem perducet simulque suo & suorum commilitonum nomine Auditoribus Honoratissimis pro beneuola auscultatione gratias aget germanice.

Quo circo & scholæ nostræ Antistites plurimum REVERENDOS, eiusque PATRONOS CONSVLTISSIMOS, æque ac omnes, qui cum musis faciunt cuiusuis ordinis ac conditionis SPECTATISSIMOS enixe rogamus, ut huic festiuitati interesse, nostraque conamina, sint qualicumque sint, æqui bonique consulere minus dedignentur.



82 243

1078

ULB Halle 3
005 354 412





1763 1

QUOSDAM ILLEGITIMOS
PARANDÆ DOCTRINÆ MODOS

RECENSET
ET

VIROS

GENEROSISSIMOS PLVRIMVM REVERENDOS
EXCELLENTISSIMOS, PRAENOBILISSIMOS
CONSVLTISSIMOS, AMPLISSIMOS
CET.

SCHOLAE REFORMATAE
FAVTORES ATQVE INSPECTORES
OMNI, QVA DECET, ANIMI MODESTIA
COLENDOS,

AEQVE AC

OMNES LITTERARVM ELEGANTIORVM CVLTO-
RES CVIVSVIS ORDINIS
SPECTATISSIMOS

